Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 511
Quelle:
Copyright:

men 23. ubi omnes legunt: *Deum putant sine ira*, Noster *fol.* 39. habet ἀοργητον.

II. *fol.* 42. p. 2. *L. Coelii Lactancii Firmiani De Opificio Dei Seu Hominis Formatione Liber Incipit.* Initium: *Quam minime sim quietus etiam in summis necessitatibus* &c. In XXI. *Capita* juxta praevium Elenchum tributus est; abrumpitur autem in his C. *ult.* verbis: *Ego uero libentius uel sub hoc onere* — —. C. 1. legit Noster: *licet te publicę rei necessitas habeat, et a ueris operibus auertat*, pro *licet — necessitas a veris et justis operibus avertat.* Item: *ne possint homines prouisione uitare*, pro *ne possint hominis provisione vitari*, quam discrepantiam nec a *Bunemanno*, nec a *Brunio* et *Lengleto* adnotatam video.

CCLXXXIII.

U. 567 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 84. 8. in cujus fronte legitur: *Carolus Rottingerus Nördlingensis Rhetus me possidet. Anno Salutis 1530.* quod ad hujatem Academiam pertinet, memorari meretur. Continet is primo: *Annotationes M. Stephani Sprugels in Lactantium de Opificio Dei.* In Scholis exceptas liquet e Titulo: *Incipit die prima decembris* (1530.) et e Calce: *Finiuit die 3. februarij Anno domini 1531.* Primum igitur Commentatorem *Lactantii* habeo *Sprugelium* nostrum; *Erasmi* enim *Scholia* in L. *de Opificio Dei* anno demum 1539. in edit. *Antverp.* 8. comparuere. Fuit Vir ille *Suevus Hallensis* et per varia Munia Academica demum a. 1543. ad supremum Magistratum evasit, Canonicatu simul D. *Stephani* insignis, et ultima voluntate a. 1555. fundato Stipendio in *Bursam Haydenheim* beneficus. Virum eruditum probant Adnotationes nostrae, quas effatis biblicis, Patrum, Historicorum, Philosophorum et Poetarum condivit praemissa brevi Notione de rebus Autoris. Itaque secutis Commentatoribus usui esse potuissent. Aliquoties addit vernacula, v. g. C. 1. τὸ *Offensacula* interpretatur: *Das ainem in weg leitt* (liegt). Fronti praescriptum Carmen: *Rosinus in Lactantium.*

Si placet eloquium, lac manat et Attica mella;
Si res, Coelicolum nectar et Ambrosiam.

Atqui in *Supplemento Historiae* meae vernac. *Typographiae Vien.* p. 97. retuli idem *Carmen* praefixum *Lactantii Praefationi* L. I. *Divinar. Instit.* editae *Viennae* ante an. 1537. 4. et tributum *Casp. Ursino Velio.* Difficile est officium *Palaemonis. Et vitula tu dignus, et hic.*

II. *fol.* 19. *In Epistolam Pauli ad Romanos Annotationes D. Ambrosio Saltzer sacræ scripturæ Licentiato dictante conscriptæ. Anno domini* 1534. *Martij* 16. Sequun-